

tatis elicitive, sed solum ut vice objecti concurrens cum potentia ad actum, actus autem vitalis immanens solum respicit pro subjecto id quod principium elicitivum est vitaliter, huic enim correspondet actus secundus vitalis, ut proprie vitalis, objecto autem non correspondet, ut actus vitalis ejus, sed ut specificatus ab illo; unde non debet inhærere in objecto, aut in eo quod vice objecti se habet, scilicet in specie, et quod vice objecti concurrat, et determinat potentiam. Inhæret tamen in lumine, et mediante lumine in potentia, quia licet lumen non sit principium vitale radicale primum, et ortum ab anima, est tamen facultas, et elevatio potentiae vitalis ad vitam æternam ut supernaturalem, et ideo actus secundus vitalis vita supernaturali, et æterna non est actus vitalis potentiae secundum se; sed prout elevata, inhæret ergo, et immanet in ipsa prout elevata. Ad tertiam instantiam dico similiter quod actus secundus charitatis inhæret in voluntate mediante habitu charitatis ob eandem rationem, ab illo enim proportionatur, et habilitatur potentia ad eliciendum illum actum physice, et in exercitio. Secus est de habitibus acquisitis, quia ista non dant facultatem eliciendi simpliciter sicut supernaturales, sed modum, et facilitatem, simpliciter enim virtutem ad eliciendum actum habet potentia sine habitu si quidem et ipse habitus per actus potentiae fit; unde non currit eadem ratio ad subjectandum actus in his habitibus.

IX. Ad fundamenta patris Vazquez respondetur quod ad recipiendam formam supernaturalem, absolute non requiritur dispositio, ut patet in habitibus qui immediate inhærent potentiis, vel in essentia animæ. Ad formam autem supernaturalem ta-

lem, v. g. quæ est actus secundus, vel quæ per modum speciei intelligibilis intelligibiliter, et non entitative informat, requiritur alia dispositio, nec sufficit potentia obedientialis, sed requiritur connaturalis, et ejusdem ordinis, quia se habent ut formæ ultimæ, et secundæ et supponunt alias priores ex conceptu suo formali. Nec datur processus in infinitum, sed sistitur in illis formis supernaturalibus, quæ se habent, ut habitus elevantes immediate potentias ad operandum, vel essentiam animæ, sicut etiam in naturalibus, aliqua accidentia sunt quæ præsupponunt alia priora in subjecto, ut recipiantur in illo, alia vero immediate in subjecto recipiuntur, sicut albedo mediante quantitate recipitur, et lux mediante diaphaneitate, et actus vitalis mediante potentia. Nec tamen proceditur in infinitum, sistimus enim in illis quæ non se habent ut formæ, et actus ultimi, sed ut dantes primam affectionem, et dispositionem subjecto: sic similiter in supernaturalibus, quædam se habent ut formæ ultimæ, quædam ut primæ; et ultimæ mediantibus primis recipiuntur, primæ autem absolute sunt in subjecto. Et inter ultimas numeramus speciem ut informantem in esse intelligibili, et actum secundum ob rationes dictas. Ad id vero, quod dicitur de forma substantiali, respondetur formam substantialem requirere quidem dispositionem, non ut mediantibus illis informet materiam, et recipiatur in illa, sed ut mediantibus illis determinetur materia ad hanc formam contrariamque rejiciat. Inter formas autem accidentales, quædam requiruntur ut medium ad recipiendas alias, et hoc modo se habet lumen respectu visionis, et unionis cum essentia divina in ratione speciei. Quod vero dicitur essentiam divinam non recipi, nec

inhærere, respondetur hoc potius stare pro nobis, quia non requirimus lumen ad unionem essentiae divinæ in ratione informationis, vel inhæSIONIS entitative, sed in ratione formæ intelligibilis in esse intelligibili præcise. Unde ad unionem in esse personali cum humanitate quæ entitativa unio est, et in ratione termini entitavi, et substantialis, nulla dispositio supernaturalis præsupponitur. Imo nec in aliis speciebus creatis ad recipiendum illas modo materiali, et in ratione qualitatis cujusdam non requiritur potentia vitalis, bene tamen ut afficiant, et actuent potentiam modo intentionali, et cognoscibili, et hoc modo requiritur lumen, tamquam habilitans potentiam ad unionem talis speciei in ratione formæ intelligibilis.

X. Ad fundamenta patris Suarez, quantum ad id quod dicit divinam essentiam solum se habere ut assistentem, non autem speciali modo uniri intellectui, jam supra rejectum est. Quod vero dicit non requiri lumen ad receptionem visionis, respondetur ex dictis actum visionis recipi in potentia mediante lumine tamquam ratione recipiendi ut quo, seu potius tamquam medium recipiendi, sicut albedo recipitur media quantitate, et lux media diaphaneitate. Et cum instatur, quia tunc deberet educi visio ex ipso lumine, respondetur quod accidentia proprie non educuntur ex illo quod se habet, tamquam medium quo recipiendi aliquid, quia hoc proprie non est subjectum sustentans, sed medium recipiendi accidens, quod ordinate recipitur in subjecto post aliud:eductio autem proprie fit ex subjecto, a quo tale accidens sustentantur. Quare sicut ex potentia obedientiali intellectus, seu animæ educitur lumen, et alii habitus supernaturales, ita ex ipsa potentia obedientiali edu-

citur visio, non tamen ad inhærendum immediate ipsi intellectui, sed ordine quodam, id est, mediantibus aliis accidentibus, quæ prius coordinantur ipsi subjecto, et mediantibus illis recipiuntur, non ut habentibus rationem subjecti, sed rationem medii quo recipiantur, et ideo non proprie dicuntur educi ex illis, sed mediantibus illis convenire subjecto, a quo proprie educuntur, quia solum hoc proprie subjectum sustentativum est.

XI. Unde etiam non sequitur, quod idem sit formaliter agens, et patiens, movens, et motum, ut objicit Suarez, quæ difficultas est communis omni actui immanenti, de qua diximus VII physic. q. XXII et q. V de gener. art. I. Dicimus enim quod actus immanens procedit a potentia actuata lumine, et specie, educitur autem ex sola potentia, et recipitur mediante lumine, tamquam medio. Unde non est idem movens et motum, agens et patiens secundum se totum, seu per se primo, sed secundum diversa. Et addimus, quod idem per se primo non potest esse movens, et motum secundum idem, quia movere, et moveri respectu ejusdem fundantur in conditionibus omnino oppositis nempe moveri in potentia, ut excludente actum, seu ut transeunte de potentia ad actum, id enim importat motus, movere autem in actu excludente potentialitatem in quantum movens, quia prout sic non transit de potentia ad actum. At vero esse agens sine motu, et simul sustentans ipsum actum vel effectum non importat condiciones repugnantes, quia esse principium sustentativum accidentium non dicit solam potentialitatem transeuntem de potentia ad actum, sed dicit potentiam adjunctam actui, quia non sustentatur aliquid, nisi a subjecto habente perfectius esse utpote sub-

sistens, quam ipsum accidens; similiter esse medium recipiendi ut quo, non dicit potentialitatem ut excludentem actualitatem, quia disponit ad illam formam, et disponere, aliquid actualitatis est, ratione cuius etiam potest esse principium agendi. Et ita actus immanens procedens a potentia, et virtute ejus proprie sustentatur in esse ab anima, recipitur autem media potentia, seu lumine (a quo etiam active elicitor) tamquam medio recipiendi ut quo, non tamquam subjecto sustentante. Unde non est secundum idem movens, et motum, licet sit agens, et sustentans, aut etiam medium recipiens, movetur enim intellectus recipiens actum ab ipso objecto, vel ab alio actu priori, vel a Deo, sustentat autem solum ratione esse substantialis animæ, in qua radica-
tur.

ARTICULUS IV.

Utrum lumen gloriæ de potentia absoluta possit esse connaturale creaturæ?

I. Hæc difficultas est eadem cum illa, an sit possibilis aliqua substantia creata ordinis supernaturalis, cui formæ supernaturales connaturales essent, sive connaturalitate debiti sicut propriæ passionis, sive connaturalitate convenientiæ, et conformitatis, nec enim necesse esset si daretur substantia supernaturalis quod omnes formæ supernaturales essent proprietates ejus, sed tamen aliquas haberet tamquam proprietates, et alias in accidentia communia intra illum ordinem, omnia tamen sibi essent convenientia tamquam ejusdem ordinis, et conformitatis, licet non pariter debiti, et connexionis; sicut etiam in ente naturali non omnes formæ accidentales sunt propriæ passionis, sed quædam ut acciden-

tia communia illi conveniunt, ipsi tamen conformia, et tamquam ejusdem ordinis convenientia, licet non necessario connexa aut debita. Et uno verbo, nulla forma supernaturalis esset elevativa substantiæ illius, sed ei modo connaturali conveniens. Et hoc inquiritur an sit possibile?

II. Nec possumus modo immorari in explicando id in quo laboriosissime auctores aliquid decertant, videlicet in quo consistat formalis ratio entis supernaturalis? Id enim latius tractare potius spectat ad materiam de gratia, ubi agitur de quidditate illius formæ per quam reddimur divinæ consortes naturæ. Breviter tamen suppono vulgarem istam distinctionem de supernaturali quoad substantiam, et quoad modum. Supernaturale quoad modum dicitur illud quod substantiam, et naturam habet naturalis ordinis, sed fieri ejus supernaturale est; quia vel fit, vel conservatur per actionem excedentem modum operandi naturæ, sicut illuminatio cæci, resurrectio mortui, id enim quod fit per resurrectionem in substantia est homo, et quod fit per illuminationem est potentia visiva, quæ sunt in substantia res ordinis naturalis, sed modus quo fiunt supernaturalis est. Supernaturale quod substantiam est illud, quod secundum suam speciem, et quidditatem qua constituitur est supernaturale, seu excedens totum ordinem creaturæ et non solum ratione modi quo fit, seu actionis qua fit. Et de hoc sunt variæ sententiæ auctorum in explicando in quo consistat, quia fere unusquisque sic accommodat conceptum entis supernaturalis, prout sibi videtur accommodatius ad negandam, vel asserendam substantiam supernaturalem. Sed tamen in hoc saltem videtur debere omnes convenire, quod pertinet ad ens supernatu-

rale, quale nunc cognoscere, facere seu habere in se divinæ consortium naturæ, ratione cuius dicat ordinem divinum, ad quem elevat ordinem creatum. Quod enim importet consortium divinæ naturæ ex Scriptura colligitur II Petri I: *Per quem maxima, et pretiosa nobis promissa donavit ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ*. Quod etiam per similitudinem Dei explicat I Joan. III: *Cum apparuerit similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est*. Unde constat secundum, scilicet importare has formas ordinem divinum elevativum ordinis creati ad consortium, et similitudinem Dei. Ordinis enim divini sunt, quia faciunt nos similes Deo, seu deiformes, non quidem similitudine illa communi, et generali, qua creaturæ sunt vestigia Dei, et participatione ejus, et homo specialiter factus est ad imaginem Dei, sed similitudine peculiari, et propria qua habent consortium Dei attingendo objectum, quod ipse attingit, et vitæ æternæ consortes sunt videndo, et fruendo ipso Deo, sicut Deus fruitur se ipso: sicut etiam, quando corpora elementaria mixta participant impressionem, seu virtutem cœlestem, dicuntur aliquid altioris ordinis participare, scilicet cœlestis, quam non habent ex eo, quod elementalis, sic creaturæ quando participant modum vitæ divinæ in cognoscendo, et amando per modum vitæ æternæ, dicuntur habere ordinem divinum et altiore: quia modo proprio Dei in eo in quo elevatur supra creaturas, afficiuntur. Et dicitur esse elevatio creatæ vitæ seu intellectus, sic enim Concilium Vienne explicat hanc supernaturalitatem docens indigere lumine elevante, quasi contraponens lumen elevans lumini naturali: sentit ergo quod ratio luminis ut supernaturalis, est lumen elevativum intellectualis naturæ, si quidem per hoc

quod sit elevans, condistinguit et contraponit illud lumini naturali. Unde sequitur quod supernaturalitas debet esse elevativa intellectus vel voluntatis seu potentiæ creatæ, et debet habere superioritatem (id enim pertinet ad elevationem) respectu intellectus creati. Hoc enim munus faciunt supernaturales formæ et lumen gloriæ quod nunc cognoscimus. Et ita omissis aliis subtilioribus indagationibus, circa formalem rationem entis supernaturalis, hoc sufficit nobis pro nunc ad discurrendum circa hanc nostram difficultatem. Si enim proprium munus formæ supernaturalis est elevare intellectum, seu potentiam intellectualis naturæ, inquirimus an possit dari aliqua creata natura vel intellectus respectu cuius lumen gloriæ vel forma supernaturalis non sit elevativa, sed connaturalis, an vero ut sit supernaturalis, debeat comparari ad omnem intellectum ordinis creati, ut superior et elevativa forma et ordinis superioris, vel sufficiat quod respectu aliquorum intellectuum creatorum, quales nunc sunt, lumen gloriæ sit superius, non vero respectu omnium etiam creabilium.

III. Duplex est sententia. Prima eaque valde communis inter auctores docet implicare huiusmodi supernaturalem substantiam seu intellectum creatum, sed hoc ipso quod forma supernaturalis est, id est, immediata et propria participatio Dei, debere esse elevatiorem et superiorem intellectu quolibet creato, nec ullum posse intellectum ita perfectum imaginari, qui non sit capax elevationis et superioritatis excedentis propriam naturam, si a Deo trahatur ad suum divinum consortium. Et ita inveniunt repugnantiam inter hos terminos, quod scilicet aliquis intellectus sit creatus et sit supernaturalis hoc est non